Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



iohan I

II

filioli mei hec scribo vobis ut non peccetis. Sed et si quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem ipsum iustum et ipse est propitiatio pro peccatis nostris non autem tantum sed etiam pro totius mundi. Et in hoc scimus quoniam cognouimus eum si mandata eius obseruamus. Qui se dicit nosse deum et mandata eius non custodit mendax est et veritas in eo non est. Qui autem seruat mandata eius vere caritas dei in hoc perfecta est. In hoc scimus quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere debet sicut ille ambulauit et ipse ambulare. Fratres non mandatum nouum scribo vobis sed mandatum vetus quod habuistis ab initio. Mandatum vetus est verbum quod audistis. Iterum mandatum nouum scribo vobis quod est verum et in ipso et in vobis quia tenebre iam transierunt et verum lumen iam lucet. Qui dicit se in lumine esse et fratrem suum odit in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum in lumine permanet et scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum in tenebris est et in tenebris ambulat et nescit quo eat quia tenebre obcecauerunt oculos eius. Scribo vobis filioli quia remittuntur vobis peccata propter nomen eius. Scribo vobis patres quia cognouistis eum qui ab initio est. Scribo vobis adolescentes quia vicistis malignum. Scribo vobis infantes quia cognouistis patrem. Scribo vobis patres quia cognouistis eum qui ab initio est. Scribo vobis iuuenes quia fortes estis et verbum dei in vobis manet et vicistis malignum. Nolite diligere mundum neque ea que in mundo sunt. Si quis diligit mundum non est caritas patris in eo. Quia omne quod in mundo concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vite quod non est ex patre sed ex mundo